

det id admitti non posse? Erant illo tempore homines à
posteris diluvii non disparis conditionis; certè uti robu-
sto corpore & longævâ vitâ præditi erant, ita quoque in
tanrò ac tam multiplici rerum ad vitam sustentandã ne-
cessariatum apparatu, vini usum nescisse quis credat? &c.
Ubi quidem circa postremum Kircheri argumentum nota-
mus, eòdem potius contra ipsum uti quempiam posse, ex
Turneb. de vino, qui proceritati ac robori corporis, ipsique
longavitati obesse magis vini usum, aliquoties asserit.

§. 10. Caterùm ratio non ultima ultimo nobis loco
succurrit, quod fieri vix potuisse videatur, ut Noachus in
animum induxerit, vineas plantare, quæ tam sedulũ & ac-
curatum laborem atq; culturam requirunt, nisi vitis natu-
ram, fructusque ejus virtutem & excellentiam jam ante co-
gnitam ac perspectam habuisset. Negantibus id, ac Noa-
chum scientem se non inebriaturum ratis, hæc *Calvini* in
hanc rem verba reponit *Scbotanus l. c. Vulgò creditur, nullum
fuisse vini usum ante id tempus. Ac eò libentius recepta fuit
opinio, quòd honestus esset pretextus ad extenuandum pecca-
tum Noæ. At qui fructum vitis, qui præ aliis omnibus excellit,
neglectum jacuisse & inutilem, mihi non est probabile. Ne-
que etiam dicit Moses, quo primùm die vinum gustavit Noe,
fuisse ebrium. Ego hoc in medio relinquens potius ex ebbri-
etate Noæ descendum esse arbitror, quàm fæda & detestabilis
res sit ebrietas.* Alii ad objectionem hanc de ebrietate
Noæ non futurâ, si vini effectum habuisset cognitum, re-
spondent, fieri potuisse ut vitibus à Noa loco generosiore
infectis, generosius, quàm ante Diluvium, nasceretur vi-
num, cujus vim ille nondum expertus ac tantundem,
quantum olim de imbecilliori, assveto impunè biberat,
hauriens, præter spem ac intentionem fuerit inebriatus.

§. 11. Rursum alius quidam Interpres punctum il-